Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 375
Quelle:
Copyright:

In re terrena nihil eſt aliud niſi pena. Et:
Pauper amabilis et venerabilis eſt benedictus.
Diues inutilis et miſerabilis eſt maledictus.

Quo poſtremo modo Noſter tamen multo infelicior eſt *Bernardo Morlanenſi.* Finit:

Hoc tibi det munus qui regnat trinus et unus. Amen.

XV. *fol.* 187. *Dionyſii Catonis Diſticha de Moribus*, cum Commentario, qui incipit: *Scire aliquid laus eſt pudor eſt nil diſcere velle. Iſta uerba ſcribit magiſter catho doctor egregius in ſuo proprio libello* &c. Diverſus eſt a *Gloſa et Moraliſatione*, quae *Catonem* Sec. XV. in uſum Scholarum ſaepius editum comitantur, nihilo minus tamen barbarus et ineptus. Uterque porro in *Prooemio* inter Autores, quibus *Diſticha* haec olim a Variis tribuebantur, *Joh. Chryſoſtomum* nominat, quod *Fabricio Bibl. lat.* L. IV. C. 1. §. 8. non obſervatum video. In calce Opuſculi haec leguntur: *Finitum et completum anno domini M° CCCC° et XI^mo in vigilia aſſumpcionis ante miſſam quaſi hora 8^ua.*

Ad Codicem hunc compingendum adhibita eſt Membrana, qua *Frater Theodericus Prior Fratrum ſancte Crucis Colonien.* in omnium Coenobii ſui Meritorum communionem recipit *Magiſtrum Heinricum de xanctis Sacre Theologiae Doctorem et Sancti Andree Colonien. Scolaſticum fautorem.* Factum id Anno MCCCCXLIV.

CXXXVI. VII A 7

Codex membraneus germ. Sec. XIV. Folior. 367. f. max. probe ſcriptus, picturatus et deauratus continet *Paraphraſin Librorum hiſtoricorum V. et N. T.* vocatis etiam in ſubſidium veteribus Chronicis, *rhythmo Germanico*, juſſu *Henrici* Landgravii Thuringiae, elaboratam partim a *Rudolpho de Ammſe*, partim vero ab *Henrico de Bavaria* ſeu *Monachienſi.* Praecedit index hoc rubro: *Ditz iſt die tauel dez puches von allew dem Vnd ez ſait. Vnd allew die puch nach ein ander Die di wibel. vnd die Choranik in dawtſch hat. Auch vint ir hie waz in iegleichem puch Beſunder ſtet vnd iſt geſchriben.* Poetam noſtrum puris non ſemper fontibus inhaerere, quin et Theologum et Pſychologum agere vel ſequentes jam rubricae declarant: *Wie Adam der engel daz zwei* (Zweig) *auz dem paradis gab — Wie Adam dar nach ſtarb Wie im daz zwei zu den haubten wart geſtackt Wie ſider daz heilig chrautz* (Kreuz) *dar auz wart gemacht. — War vmb got lucifer beſchuf. vnd er doch weſt, Daz er ſolt geuallen. — Von wem*

daz